

existens qui tempore commissi criminis sine habitu et tonsura clericali deprehensus fuisset: vel habitum et tonsuram hujusmodi per mensem immediate ante dicti criminis perpetrationem non detulisset et qui post hujusmodi Crimen commissum se dictis ordinibus insigniri fecisset: et ex tunc habitum et tonsuram hujusmodi non gestaret, ita quod clericus non appareret omni clericali privilegio privatus ac foro seculari subjectus existeret et ei cujus crimen tempore insignitionis hujusmodi notorium foret delatio habitus et tonsuræ prædictorum minime suffragaretur; sed foro seculari in ejus delusionem ut præfertur se insigniri fecisse evidenter præsumeretur, subijceretur. Et deinde piæ memoriæ Paulus Papa II.<sup>us</sup> et predecessor noster litteras Gregorij predicti ratas et gratas habere volens illas sic modificavit, videlicet: quod contra personas ecclesiasticas hujusmodi postquam juxta infrascriptam formam per loci ordinarios et eorum in spiritualibus vicarios generales pro tempore existentes moniti fuissent. Judex secularis in casibus in dictis litteris dumtaxat expressis impune et absque alicujus censure incursu perinde contra eosdem clericos inquirere et procedere aliaque facere valeret: ac si ipse persone clericali privilegio non gauderent, sed laycales et sue jurisdictioni subiecte forent, approbavit et confirmavit, atque eas ad omnia et singula civitates terras et loca Dominio Venetiarum tunc subjecta extendit, ac litteras Pauli predecessoris præfati per venerabiles fratres Patriarcham Venetiarum, Archiepiscopos, Episcopos, et alios locorum ordinarios ejusdem Dominij singulis annis ad ipsius Dominij requisitionem et instantiam in valvis suarum ecclesiarum affigi et intimari ac publicari, et personas predictas saltem in genere quolibet anno semel moneri mandavit, ut congruum habitum et tonsuram clericales deferrent et ab alijs omnino abstinerent; propter que Idem Gregorius predecessor personas ipsas clericali privilegio voluit esse privatas, alioquin secularis judicis jurisdictioni subessent, et per illos contra dictas personas absque alicujus pene incursu inquire et procedi posset, et monitionibus hujusmodi perinde dictis clericis arclarentur: ac si ipsis personaliter tribus edictis successive factis intimare fuissent. Voluit etiam Paulus predecessor prefatus quod dictum Dominium, tam apud Patriarcham quam locorum ordinarios supradictos saltem in hortatorijs litteris singulis annis debitam instantiam facerent, ut personas suarum civitatum et diocesem opportune super premissis monerent, et litteras Pauli predecessoris præfati in suis

archivis adnotari procurarent, alioquin contra personas ecclesiasticas predictas Justiciæ seculari omnis procedendi adempta foret facultas, ac si dictæ literæ nullatenus emanassent. Et postmodum se. re. Julius Papa II et predecessor noster eidem Patriarche commisit ut universis et singulis monasteriorum et ecclesiarum Civitatis Venetiarum prefatis, sub excommunicationis et privationis omnium privilegiorum suorum penis, preciperet, ne proditores, rebelles, sicarios, monetarum falsificatores, fures notorios, et homicidas voluntarios et grassatores in eorum locis et ecclesijs, ex tunc in futurum, nullo modo receptare deberent, aut presumerent, et quatenus post monitionem, et mandatum hujusmodi, aliquam ex predictis personam receptarent, eos excommunicationis et privationis penas hujusmodi incurrisse declararet, et nihilominus sic receptos, considerata tamen prius diligenter personarum, ac delicti qualitate, et habita ratione ad immunitatem ecclesiasticam a locis et ecclesijs predictis illos ejici et extrahi faceret, super quo conscientiam Patriarchæ oneravit, prout in eorundem predecessorum singulis desuper confectis litteris plenius contineri dicitur, Quapropter Nos dicti Leonardi Ducis humilibus super hoc Nobis porrectis supplicationibus inclinati, dictorum Pauli II et Julii etiam II Romanorum pontificum etiam predecessorum nostrorum litteras, auctoritate apostolica, tenore presentium innovamus et pro innovatis haberi et observari debere volumus, sicque per quoscumque tam ordinaria quam delegata, aut mixta auctoritate fungentes, judices et personas ubique judicari, cognosci, et decidi debeat, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, cognoscendi, et decidendi facultate, ac irritum et inane si secus super his a quocunque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attemptari decernimus, et nihilominus venerabili fratri Patriarchæ Venetiarum sive ejus in spiritualibus vicario generali per presentes commitimus, et mandamus, ut premissa ab omnibus inviolabiliter observari faciant, contradictores inobedientes, et rebelles per censuras et penas ecclesiasticas illas aggravando, reaggravando, et auxilium brachij secularis, si et prout de jure invocando, appellatione postposita compescendo, non obstantibus premissis, ac se. re. Bonifacij Papæ VIII, predecessoris nostri de una, et in Concilio generali de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas extra suam dicionem ad judicium nemo trahatur, ac in provincialibus, et synodalibus concilijs editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordina-